

## Ex S. Cong. S. R. U. Inquisitionis

## I

AD R. P. D. ARCHIEPISCOPUM S. LUDOVICI IN AMERICA. DUBIA QUOAD AUCTORITATEM EPISCOPORUM IN CONCILIO, ETC.

Illustrissime Domine,

Litteris datis die 22 Decembris anni elapsi ad Emum D. Cardinalem Secretarium huius Supremae Congregationis Sancti Officii, Amplitudo Tua sequentia dubia proponebat.

I. Utrum Episcopi in Concilio, sive plenario, sive provinciali coadunati vera potestate legislativa potiri censeantur?

II. Utrum Decreta Conciliorum, sive plenariorum, sive provincialum a S. Sede modo generali, non autem speciali, approbato, omnimoda vi legum careant, nisi in statuta diocesana iam fuerint incorporata; et quidem tantum valeant, quantum sic fuerunt incorporata?

Re ad examen revocata, in Congregatione Generali habita feria V, loco IV, die 10 septembris 1896 Eminentissimi Domini Cardinalis una mecum Inquisitores Generales, reformatis dubiis uti sequitur:

I. Utrum Episcopi in Concilio, sive plenario, sive provinciali, legitime coadunati vera potestate legislativa potiri censeantur?

II. Utrum Decreta Conciliorum, sive plenariorum, sive provincialum, a S. Sede in forma communi sive specifica confirmata, vel approbata, vel saltem recognita, omnimoda vi careant nisi in statuta diocesana iam fuerint incorporata et quidem tantum valeant, in quantum sic fuerunt incorporata?

Respondendum decreverunt:

AD I AFFIRMATIVE. AD II NEGATIVE. Et ad mentem.

Hanc ad Amplitudinem Tuam notitiam dum defero, fausta quaeque ac felicia a Deo Tibi lubens deprecor.

Uti frater

LOCIDUS MA CARD. PAROCCHI.

## II

SI EPUS CERTO NON IMPOSUERIT CORPORALITER MANUM SUPER ORDINANDO DIACONO, ITERETUR SUB CONDITIONE ORDINATIO, SECRETO ET QUOCUMQUE ANNI TEMPORE.

Italus quidam Episcopus Sacrae Congregationi S. Officii humiliter exponit,

quod cum annis adhuc circiter quatuor, optimo cuidam suae Dioecesis Subdiacono Diaconatus ordinem conferre vellet, in illius ordinatione peragenda manum utique dexteram, et ad minimam quidem distantiam, super caput eius suspendit, quin tamen praedictum illius caput «corporaliter» attingeret. Cumque mox hic defectus haud essentialis praedicto Episcopo, aliisque ecclesiasticis viris ab eodem consultis visus fuerit, eundem clericum non ita multo post ad sacerdotalem ordinem promovit, quem ipse clericus a tribus iam annis laudabiliter exercet. Verum illius defectus recordatio magnam nunc eidem Episcopo anxietatem et de praedictae diaconalis ordinationis validitate dubitationem affert. Eapropter ipsi Revmis EE. VV. duo haec dubia reverenter proponit, videlicet:

I. An ad reparandum praedictae ordinationis defectum ordinatio tota diaconatus in illo sacerdote «sub conditione» iterari debeat.—Et quatenus affirmative:

II. An haec ordinationis iteratio «sub conditione» fieri possit a quocumque anni tempore, etiam in sacello privato, uti responsum est in quodam Rescripto Congregationis S. Officii die 28 Ianuarii anno 1835 ad reparandum quemdam defectum impositionis manuum, qui in Ordinationem cuiusdam presbyteri irrepserat.

S. C. mature examinato casu, in feria IV, 20, Ianuarii 1875, rescripsit: «Ad utrumque affirmative, facto verbo cum SSmo.—Eadem feria ac die SSmus. EE. DD. resolutionem confirmavit, ac facultates omnes necessarias et opportunas impertiri dignatus est.»

## III

DISPENSATUR AB ULTERIORIBUS INTERPELLATIONIBUS UT PARS FIDELIS CONVERSA UTI POSSIT PRIVILEGIO PAULINO, QUANDO PARS INFIDELIS ORE QUIDEM PROMITTIT SE PACIFICE CONVERSATURAM, DE QUO JUSTA DE CAUSA VALDE DUBITATUR.

Beatissime Pater.—Quaedam mahumetana, ante duos annos cum sua prole (puella) facta est catholica. Mariae nomen in baptismo suscepit, cognomine B. desiderat modo matrimonium inire cum aliquo catholico. Admonita a me, ut cum suo marito Suljo B., qui mansit in infidelitate nec vult converti, cohabi-